



PROGRAMMA

quo

GENVINOS
ASTRAE CVLTORES
HONORATISSIMOS
DOMINOS
COMMILITONES

AD PRAELECTIONES PVBLICAS

IVXTA PANDECTARVM ORDINEM

IN CONSTITVTIONES

BRVNSVIC. LVNEBVRG.

ET VICINARVM TERRARVM

PROXIMO IOVIS DIE HORA IX AVSPICANDAS

HVMANISSIME

INVITAT

IOH. WILHELM DE GOEBEL.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXVI.

1736, 2

623.

5



Tribonianus, aut si quem alium proëmium Institutionum habuerit autorem, imperatoris accenset laudibus, quod, cum olim vix contingeret, ut post quadriennium imperatorias legerent constitutiones, Justiniani auspiciis factum, ut jurisprudentiæ cultoribus initium & finem legum a voce principali petere liceat. *

Loquitur autem haud dubie dicti proëmii autor de constitutionum imperatoriarum, quas primus justiniani habebat Codex, collectaneis, quæ jurisprudentiæ elementis sunt inserta. Notante enim MARCILIO *ad cit. proëm. juris auditores*, antiquioribus temporibus, quadriennio toto in prudentium responsis discendis fuerunt occupati, deinde ad jus imperatorum & constitutiones pervenerunt. Sicut autem Codex repetitæ prælectionis non solum novis aliquot constitutionibus, sed & longe pluribus quinquaginta ** decisionibus est auctus: ita multis constitutionibus,

* Vid. *constit. ad antecessor.* In THEOPHILI paraphrasi hæc leguntur: *Et ita quod superioribus temporibus vix post trium annorum tempora juri operam dantibus contingebat, ut tanto tempore elapso principum constitutiones legerent, id nunc in ipsis rerum, ut ita dixerim, initiis, consequentur.* In græco idiomate legitur *επιεστη*; locum autem corruptum esse, & legendum *επιεστη*, HOTTOMANNVS recte arbitratur. Ceterum Theophili paraphrasin in multis ab Institutionum textu discedere, certum est. CONTIVS *lectionum subcessivarum lib. II. c. I.* Quapropter eo minus cum GVDLINGIO in *Gundlingianis* statuere possum, paraphrasi autorem eundem esse cum Theophilo Triboniani adjutore, aut eum brevi post Justiniani tempora vixisse. Vid. GRAVINAM *de ortu & progressu jur. civil. p. 164.* Cujacius illum, post Basilicorum libros compositos, Institutiones paraphrasi græca illustrasse affirmat, quoniam in ea comparent, quæ ex Basilicis dicit desumpta.

** BALDVINVS in *Justiniano libr. IV. p. 378.* asserit, plusquam ducentas

bus, quas prior habebat Codex, posterior est mutilatus. Codicem repetitæ prælectionis multis destitui constitutionibus, quas prior habebat, extra ambiguum est. * EVAGRIVS ** citat quandam Justiniani legem adversus Arianos, ex ejus Codice *titulo primo numero tertio*, quæ in novo Codice non apparet. CONTIVS opinatur, unam earum esse, quæ Lugduni græce sunt recusa. Constitutiones quoque, de quibus §. 3. *J. de satidat. tutorum vel curator.* traditur, in Codicem, quo hodie utimur, non sunt relatæ. *** In §. 3. tit. *J. de testament. ordinand. testium subscriptiones* ex constitutionibus esse inventum, perhibetur, cum tamen constitutiones illæ non existant. **** Destituimur quoque constit. cujus meminit §. 23. *Inst. de legatis.* ***** Neque adest constit. quæ in §. 27. *J. de legatis* memoratur, nisi per eam intelligas *l. i. C. de incertis personis*. Qui vero putant, constit. §. 31. *J. de legatis* adductam inter Codicis nostri placita non conspici, aberrant; nam est in *l. 24. 25. C. de testam.* reposita.

Quam vellem, ut constitutiones omnes, quæ in Codicem sunt compactæ, Papiniani cujusdam, Ulpiani aut Pauli opera essent compositæ. Si hoc factum, non tot profecto laborarent jejunis verborum ambagibus, & inutilibus tædioforum sermonum, ad rem parum aut nihil facientium, conglobationibus. Ex quo imperatores romani JCTos, prudentia

A 2

possi-

ducentas novas constitutiones, post editionem prioris Codicis, in Codicem secundo editum relatas esse. Hæc nullo modo coincidunt cum sententia FRANCISCI GRATIANI DE GARZATORIBVS, qui in erudito libello *de conciliatione legum Digestorum & Codicis lib. I. p. 28.* docet, tantum quatuor extare leges, post emendationem codicis compositas.

* CONTIVS *lect. subcelsio. lib. I. c. 7.*

** *lib. I. histor. ecclesiastica c. 3.*

*** BALDVINVS *in comment. ad Institut.*

**** VIGLIVS *in comment. ad Inst. ait, se ignorare, quibusnam constitutionibus hoc introductum fuerit, quoniam hoc jam tum Julii Pauli tempore obtinuerit.*

***** CYPRIANVS REGNERVS AB OSTERGA *in censur. belg. p. 357.*

politica* imbutos, ad hanc spartam adhibere neglexerunt, oracula illa artis legislatoriae defierunt.

Sed hæc nonnullis videri possunt aliena: ad rem itaque nostram redeamus. Id sane nihil dubii habet, magnam constitut. romanarum partem in foris Germaniæ *antiquis fabulis* esse annumerandam.** Neque a vero aberrant, qui contendunt, majorem sanctionum illarum numerum in Germania non esse receptum, quam ibi abrogatum. Dolendum igitur, tot annorum tractus in exoletis, aut apud nos non receptis romanæ jurisprudentiæ doctrinis versari, & leges patrias aut plane negligere, aut levis saltim & suspenso brachio pertractare. Nonne in pandectarum libellis a recent. conscriptis ubique fere legitur: *hodie hoc aliter se habet*. Absit a me, ut in majestatem legum romanarum debacchari velim. Prudentissimæ gentis prudentissimæ fuere leges, sed civium suorum indoli, & statui reipublicæ roman. convenientes. Nihil jucundius esse potest, quam in orbis terrarum aut potius magnæ ejus partibus domitorum uti res gestas, ita etiam leges, mores, & antiquitates, ex quibus illis lumen affundi debet, inquirere. Fateor, sine illo studio nihil solidi in interpretandis legibus romanis effici posse.*** Verum enim vero con-

queror

* Aristoteli lex dicitur *ἡ γερμανικὴ νόμος* CONRINGIAN. tom. III. p. 306. Atque sic apparet, ad legum condendarum munus, alios requiri JCTos, quam de quibus CONRINGIVS *de legum imperii germanici constit.* loquitur.

** THEOPHILVS in *paraphr. præm. Institut.* addit: *nam qui ea legunt, quæ olim obtinebant, & nunc ab usu rejecta sunt, similes videntur his, qui in fabulas inciderunt.* IANVS A COSTA per fabulas intelligit leges & traditiones usu antiquatas. Adjicere liceat CVIACII verba *ex comment. ad Institut.* AMMIANVS MARCELLINVS *lib. 30. jurisperiti*, inquit, *ut altiur videantur jura callere, Trebatium loquuntur & Cascellium & Alferum & Auruncorum Sicavorumque jamdiu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc seculis obruta multis.**** Viros summos in Græcia & Latio habebant polyhistoros, qui
ut

queror tantum, quod illi, qui foro patrio, iudicando aut postulando, operam navare volunt, legum peregrinarum & juris subsidiarii studio addicti, ita saepe a legum patriarum scientia excludantur, ut non solum, absolutum etiam in studio juridico quadriennio, constitutionum nativarum non hauriant notitiam, sed etiam in officio quandoque constituti, ne quidem tales unquam promulgatas esse, noverint.

Vt igitur auditores mei carissimi ab hoc liberari queant incommodo, decrevi, constitutiones & consuetudines terrarum brunsvico-luneburgensium, & urbium, quae in illis sunt, statuta, ad pandectarum seriem, ducente Ludovico, pertractare. Addam episcopatus hildesienfis sanctiones, & Hildesiae civitatis statuta, nec non ducatus magdeburgici, principatus halberstadiensis, aliarumque Saxoniae inferioris provinciarum leges & mores. Circa vulgaria juris romani dogmata & exoleta, doctorumque controversias, hac vice, non multum ero sollicitus. Explicabo tantum cujusque tituli leges potiores, quae in foro germanico usum habere possunt, & quidem, quantum fieri potest, secundum regulas artis hermeneuticae. In interpretatione operam dabo, ut triplici interpretis munere recte fungar. Constitunt autem munia illa in accuratiore sensus legum scrutamine, in convenienti earum applicatione, & in prudenti rationum investigatione & dijudicatione. * Textus juris recte intellectos, si plures una contineant doctrinas, in concisas redigam positiones, & quidem, quantum fieri potest, universales; deinde, ad applicationem faciendam notabiles & selectos proponam casus. Quod ad rationes legum, quae interpretationi doctrinali maximum concili-

A 3

ant

ut testis est GELLIVS, etiam grammatici dicebantur. Hi scrutandis antiquitatibus penitus erant immerfi. Ad hunc censum BALDVINVS refert Priscianum, & conqueritur graviter, quod non fuerit inter Pandect. collectores.

* Vid. HOPPERVM in *sciagraph. iurispud. universal.*

ant lumen, attinet, non solum in iuridicas, sed & politicas, quae ex Graecorum & Romanorum annalibus historiaeque, nec non conjecturis sunt haurienda, inquiram.

Si leges patriae cum latialibus coincidunt sanctionibus, harmoniam ostendam, si discrepant, differentiam & rationem ejus scrutabor. Leges consuetudines & observantias imperii, negotia quae privata concernunt, cum legibus consuetudinibus & observantiis terrarum brunsvicensium, ut & aliarum, quae Saxoniae nostrae partes sunt, combinabo, & in axiomata generalia redigere annitar. Si conjungi nequeant sanctiones legum & consuetudines diversarum Germaniae gentium, singulas, in theses enucleatas & memoriales relatas, proponam, & legum morumque rationes, ex Germaniae singularumque rerum publicarum statu & antiquitatibus elicitas, subjungam.

Inter jurisprudentiae nostrae desiderata refertur, quod hermeneutica iuridica careamus. * Specimen artis hermeneuticae & exegeticae iuridicae legitur apud LEIBNITIVM. ** Varii circa artem interpretandi desudarunt. Vt GROTIUM *** PUFFENDORFIVM **** & THOMASIVM ***** taceam, FELDENVS opus viginti annorum de interpretatione erudito exhibuit orbi: sed grammaticae magis operatus est iuvandae interpretationi, quam iuridicae. Convenientiora sunt, quae habet in *dissert. de officio Jcti*. Pauca sunt, quae de legum interpretatione PANCEROLLVS ***** refert. EICHELIVS nostras & hanc exornare voluit spartam. Rectius adhuc provincia perfun-

* Nisi vices ejus habere dixeris, quae IVSTVS BRAVEN in *commonefactione logica* habet. Huic addi possunt CYPRIANI REGNERI logica iuridica, STEPHANVS de PHERICIS *libro de ratione interpretandi leges*, & ALCIATVS in *libr. de verb. significat.*

** In *methodo juris* p. 127. seqq.

*** De *J. Bel. & P. lib. II. c. 16.*

**** PUFFENDORF de *J. N. & G. lib. V. c. 12.*

***** In *praxi logica* c. III. & in *iurisprudentia divina lib. II. c. 12.*

***** De *claris LL. interpretibus* lib. II. c. 6. p. 54.

functus fuisset * si ad specialiora & interpretationi juris nostri magis propria pervenisset dogmata, nec ubique Aristotelem voluisset adhibere ducem. Quæ HOFFMAN-
NVS ** de interpretatione generalia habet, vulgaria sunt.

Certum est, multas communium & perititarum regulam esse falsas aut minus universales. Quo pertinent themata de interpretatione extensiva & restrictiva, *** præcepta de oppositione rigidi juris & æquitatis, juris ordinarii & singularis. **** Nonnulli interpretum sibi persuasum habent, regulas juris, quæ colophonem Pandectis imponunt, esse universales, cum tamen magnam partem sint speciales, & ad certos Pandectarum titulos spectent ***** Hoc nec IAC. GOTHOFREDVS ***** negare potuit; quanquam hic omnes intenderit nervos, quamplurimis illarum universalitatem, quam vocant, conciliandi. Inprimis autem legum interpres, ad verba legum recte intelligenda, & modos loquendi veterum perscrutandos incumbat. Utilitatem hic aliquam præbent ALCIATVS, quem supra laudavi, BRISSONIVS, CVIACIVS, FORNERIVS, & GODDÆVS, ***** Et licet, quæ de
in-

* *In dissert. de interpret. legum.* Subsidiariam quandam præstare possunt operam SIMON DE PRAETIS *de interpretat. ultim. volunt.* & MANTICA *in operib. de interpret. ambiguar. convent. & ultim. voluntat.*

** *In dissert. de interpret. legum imperii.*

*** De hoc argumento vid. EICHEL. *de interpret. c. 25. & 29.* ubi utriusque interpretationis exempla, ex corpore juris, assert. GUNZELIVS *in comment. ad regul. juris idem molitus est.*

**** GIPHANIVS *de diversis regulis juris c. V. VI.*

***** Laudanda est opera RVSSARDI, qui in corpore juris, quod edit, titulos, ad quos singulæ pertinent regulæ, indicavit. Vid. MAVRITIVM *de usu librorum juris communis.* Et licet Russardi editio in aliquibus Contii flagrum promerita sit, id sane ad hoc non spectat argumentum. Vid. BRENCMAN *in histor. Pandect. p. 295.*

***** *In præf. comment. ad R. I.*

***** *In comment. de verb. significatione.* Junge GIPHAN. *de regul. jur. c. VII.*

interpretatione juridica ab autoribus prolata sunt, fufficerent: attamen imperfecta adhuc interpretatio legum romanarum moralis & politica manfit. Sæpe enim ratio legis ex utilitate reipublicæ, aut legislatoris, temporis aut affectibus nonnunquam indulgentis, voluntate proficifcens, abdite latet. Pertinet huc l. 20. ff. de LL. *non omnium, quæ a majoribus tradita sunt, ratio reddi potest.* * SCHILTERVM ad interpretationem politicam animum appuliffe, ex CONRINGII ad eum data epiftola apparet. ** Rem quoque tentavit Hopperus & ipfe Conringius, *** cui tamen affentiri non poffum, quando opinatur, ex interpretatione legum romanarum politica nihil utilitatis in forenfe ftudium profuere poffe, quoniam vera legis ratione perfefta, eo melius in ejus fenfum penetrare, eamque rectius ad cafus obvenientes applicare poffumus. Nec omittenda eft PELLERI diligentia, quam adhibuit circa politicæ interpretationis argumentum eruendum. **** Vt autem intra programmatis limites me contineam, nihil amplius addere licet, quam ut LABOREMVS.

* Conftat varias Jctorum de hac lege effe opiniones: CVIACIVS *lib. VIII. obferuat. c. II.* putat in lege illa de jure fingulari fermonem effe. Huic DONELVVS & MEYERVS *in collegio juris argentinoratenfi* adftipulatur. HORTLEDER *in differz.* ad hanc legem de ratione juris civilis fticta & rigrofa illam intelligit. Vid. SCHILTER de *ratione refolvendi textus juris* p. 5. 6.


** CONRINGIAN. *to. 1. VI. p. 505.*

*** In libr. de *prudencia civili, præfat. oper. Hopper. & ad l. unic. Cod. theodof. de ftud. lib. urb. Rom.*

**** De *interpret. legum politica.*







Helmstädt, Diss., 1735-37

ULB Halle

004 335 546




3

f

5b.





8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

PROGRAMMA

qvo

ENVINOS
AE CVLTORES

NORATISSIMOS

DOMINOS

MILITONES

RAELECTIONES PVBLICAS

NDECTARVM ORDINEM

CONSTITVTIONES

IC. LVNEBVRG.

NARVM TERRARVM

DIE HORA IX AVSPICANDAS

HVMANISSIME
INVITAT

HELM DE GOEBEL.

HELMSTADII

ERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXVI.

0
1736, 2
623.

5